MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81235-8

AUTHOR:

FELDHUGEL, CARL FRIEDRICH

TITLE:

C. FELDHUEGELII DISSERTATIO....

PLACE:

MAGDEBURG

DATE:

[1871]

Master Negative #

93-81235-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CE
Z8

Feldhügel, Carl Friedrich, 1810-
...C. Feldhuegelii dissertatio, qua cum aliorum scriptorum romanorum, tum maxime Ciceronis loci aliquot vel explicantur vel emendantur... Magdeburg, Heinrichshofen, [1871]
32 p. 28 cm.

At head of title: Jahrbuch des pädagogiums zum Kloster Unser Lieben Frauen in Magdeburg... 35.hft. 1871...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 13.5X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-31-93   INITIALS: JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Jahrbuch des Pädagogiums

zum

Kloster Unser Lieben Frauen in Magdeburg,

womit zugleich zu der

öffentlichen Prüfung

am 29. und 30. März 1871

ergebenst einladet

Professor Dr. W. Herbst,
Probst und Director des Pädagogiums.

Neue Fortsetzung.

Fünfunddreißigstes Heft. 1871.

Feldhuegel, C.

Inhalt. I. C. Feldhuegelii dissertatio, qua cum aliorum scriptorum romanorum, tum maxime Ciceronis loci aliquot vel explicantur vel emendantur.
II. Schulnachrichten. Vom Probst Dr. Herbst.

Magdeburg,
bei Wilhelm Heinrichshofen.
1871.

Scribendi opportunitate data cum propositum esset rem quandam grammaticam ita pertractare, ut explicata ratione usum eius per omnes et aetates et scriptores persequerer, ut quid omnium commune, quid cuiusque proprium esset, facile appareret, perquam ingrate accidit, ut vel temporum iniquitas vel curarum scholasticarum moles vel mala denique valetudo me remoraretur, quo minus quae ad eam rem plane explicandam essent praeparanda, absolverem et ad exitum perducerem. Scriniis igitur excussis depromsi quaedam, quae pridem inventa ac recondita novis curis nunc recolerem. Pertinent autem haec ad veterum quorundam scriptorum romanorum et maxime Ciceronis orationem per codices propagatam vel tuendam et interpretandam vel sanandam ac refingendam. Seriem autem et librorum et locorum sequi satius esse ratus quam quae aut ad interpretationem aut ad emendationem pertinerent disiungere, constitui a Taciti locis quibusdam exordiri, qui sunt in Taciti Agricola.

Ac primus quidem pertractabitur Taciti ille locus controversiae plenissimus, qui est in *Agricolae* cap. 1. E codicibus melioribus quae ibi sunt excerpta: *at nunc narraturo mihi vitam defuncti hominis venia opus fuit: quam non petissem incusaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora*, ea bene se habent, dummodo recte et interpungas ea et interpreteris. Interpunctionem verissime iam Wexius constituit ita, ut post participium *incusaturus* maiore interpunctione posita verbis *tam saeva et infesta virtutibus tempora* novam quandam sententiam contineri statueret, qua, quod ante Tacitus dixit, confirmaretur. Superiores, id quod etiam Kritzius probavit, ad participium *incusaturus* ea statuerant referenda esse. Sed parum tamen recte ille haec verba est interpretatus, si quidem et illa: *venia opus fuit*, et haec: *tam saeva et infesta virtutibus tempora* ad praesens tempus, hoc est, ad id, quo scripsit et edidit Tacitus libellum, non ad praeteritum referri voluit. Quo factum est, ut in perfecto *fuit* explicando frustra desudaret, cuius, nisi forte expellendum esset, mirabilem sane excogitavit interpretationem, quam refutare et longum est nec necesse. Ad praeteritum illa tempus pertinere, i. e., ad id, quod inter Agri-

colae decessum (a. 93.) et Domitiani exitium (a. 96.) — quo exstincto anno post libellum edidit — luculenter apparet ex eis, quae deinceps posuit: *legimus, cum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse*; quae pariter atque ea quae adiuncta sunt, ad praeteritum tempus pertinere luce clarius est, recteque pridem viri docti *legimus* (sc. actis diurnis) pro perfecto habuerunt. Quum igitur haec omnis disputatio eo tendat, ut saeva fuisse illa tempora demonstretur, facere profecto non possumus, quin verba illa *tam saeva et infesta virtutibus tempora* ad saevitiam spectare putemus, quae sub Domitiano ac maxime postremis imperii annis grassata est audiamusque non *sunt*, sed *erant**). Haec si ita esse statueris, eis quae de praeterito tempore exposuit, egregie conveniunt ea, quae initio capitis tertii de eo tempore dicit, quo exstincto Domitiano Nerva coepit imperare et Tacitus Agricolae vitam scripsit: *nunc demum redit animus* cet. Sententiarum igitur, quae primo et altero capite continentur, necessitudo haec est: Quod apud veteres usitatum erat, ut vitas clarorum virorum scriberent, id etsi etiamnunc interdum fit, si virtus quaedam admirabilis adeo eluxit, ut vel humilis et abiecti animi homines non possint eam non probare invidiaque, quae facile virtuti inhaeret, reprimatur: tamen alia fuit illorum temporum ratio, alia nostrorum est. *Tunc* tantum aberat, ut aut gratiam sectarentur aut ambitione ducerentur, ut nihil aliud nisi bene laudatae virtutis conscientiam sequerentur. Atque etiam ipsorum vitam scribere non arrogantiae, sed fiduciae esse putabant. *Nunc* autem, i. e., hoc tempore quod Domitiano imperante exstitit iniquo — non eo quo hanc Agricolae vitam scribere coepit — si scribere vellem (voluissem) defuncti hominis (Agricolae) vitam — etsi hoc multo minus invidiae habet, quam suam ipsius vitam scribere — opus mihi sane fuit venia; quam non opus fuit petere, si vellem (voluissem) incusare. (Nam accusatores ista vitiis inquinata aetas facile ferebat, non item laudatores virtutum). Tam saeva et infesta virtutibus *erant* tempora. Quae quanta fuerit saevitia, iam exemplis illustrat Auruleni Rustici et Herennii Senecionis, in quos et ipsos et libros eorum crudeliter sit saevitum. In hac tanta temporum iniquitate, cum oblivisci natura non pateretur, opus tamen erat tacere. *Nunc* demum, i. e., hoc tempore, quo postquam Nerva imperare coepit, melior civitatis fortuna eluxit, recreatur animus; et quamquam superioris dominationis pernicies, quae in animis civium insedit, non potest uno impetu aboleri: tamen et prioris servitutis et praesentium bono-

---

*) Apud Tacitum non minus *imperfectum*, quam *praesens* verbi *esse* audiri, vulgo constat, ut exemplis id comprobari non opus sit.

rum historiam scribere in animo est. Nimirum consilium indicat scribendarum historiarum, quibus ista ipsa continebantur. Sed antequam id exsequatur consilium, Agricolae memoriam profitetur se velle recolere. Sic omnia optime inter se conveniunt. Restat, ut pauca addam, ne forte oratio quibusdam videatur huic sententiae adversari. Particula *nunc* altero loco dicitur de eo ipso tempore quo scribit libellum, altero de tempore praeterito, quod tamen ad ipsum vel maxime pertinebat. Est igitur idem quod *nostro tempore* et de dilatata quasi quadam praesentia dicitur. Cf. Cic. ad Att. II, 24. 4. *Nunc reus erat apud Crassum Divitem Vettius.* Quo tempore traditur epistola, tempus quo ea res acta est, iam praeteritum erat. Sed etiamtunc ad scribentem pertinere videbatur. Hor. Od. I, 37. 2.

nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus erat dapibus, sodales.

Opus fuit, quod nec aoristi vim habet (Walchius) nec in eam sententiam dici potest, quasi totum exordium a principio compositum sit ad consilium excusandum (Kritzius) — cuius voluntatis ne minima quidem significatio est — recte dicitur, ut quid fieri oportuisset, significetur, si quid factum esset, quod factum non est, h. e., si vitam narrare voluisset. Indicativum in officio vel necessitate denotanda et Graecorum et Romanorum proprium esse, satis constat. *Narraturus* autem et *incusaturus*, quorum utrumque condicionalis sententiae vim induit, non minus recte de tempore praeterito dicitur, quam aut de praesenti aut etiam de futuro. Vim illud habet auctoritatis interpositae esse aliquid futurum. Quo id tempore futurum sit, verbo finito indicatur eius sententiae, cui participium adiungitur. Denique *non petissem*, ut vulgo, sic etiam hoc loco de re dicitur, quae facta non esset, si aliud quid accidisset, quod non accidit. (Ich haette nicht um Nachsicht gebeten, wenn ich haette anklagen wollen.) Sed sua sponte auditur: *quia non opus fuit.* Qua propter *non petissem* in hanc sententiam dicitur: *veniam petere non opus fuit.* (Ich haette nicht noethig gehabt, um Nachsicht zu bitten.)

Tac. Agr. c. 15. *Recessuros, ut divus Julius recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent.* Quae hoc loco in codicibus nobis prodita sunt verba, ea auctore Ernestio plerique omnes, qui Agricolae vitam ediderunt, sic interpunxerunt, ut verba *aemularentur* et *neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent* maiore interpunctione perperam disiungerent eandemque rationem et Wexium et

Kritzium miror secutos esse. Quid enim? Britanni, qualis rerum status sit, agitant. Cui rationi parum convenit adhortatio per se elata, restrictio convenit. Ita recessuros Romanos aiunt, dummodo virtutem maiorum imitentur et dummodo ne unius aut alterius proelii eventu pavescant. Qua utraque restrictione addita pergunt de rerum statu exponere. Neve autem non iterata particula dummodo pro et dummodone recte dici nemo profecto negaverit, nisi qui idem neget posse duas sententias affirmatas per particulam et iungi non iterata particula dummodo. At quis iure haec reprehenderit: dummodo consilii sui pravitatem intelligat et aliam vitae degendae rationem inire velit? Itaque vis particulae dummodo etiam ad alteram sententiam pertinet; pro et ne autem neve dici in vulgus notum est.

Tac. Agr. c. 33. quae in codicibus exstant et ab omnibus, qui hunc librum ediderunt, sunt probata: nam agmina et armorum fulgores audentissimi cuiusque procursu simul instruebatur acies, ea confidenter nego probari posse. Quid enim? Aut ad ea quae praecedunt verba illa quae sequuntur: audentissimi cuiusque procursu cum plerisque omnibus sunt referenda, aut cum Wexio ad subsequentia, ut hoc modo interpungantur: iamque agmina et armorum fulgores; audentissimi cuiusque procursu simul instruebatur acies. Hoc qui probet cum non facile inveniatur, tantummodo illud cur probari non possit, exponam. Verbis audentissimi cuiusque procursu aut tempus indicatur, quo agmina fuerint et armorum fulgores — nam ad sola verba posteriora (armorum fulgores) quominus cum Wexio ea putes pertinere, membrorum prohibet ratio inaequabilis — aut causa affertur, qua utrumque sit excitatum. At qui tandem agmina fieri possunt audentissimi cuiusque procursu? Et quid tandem sibi vult denotatio temporis? Nam nullam aliam vim haec possunt habere, nisi hanc: quo tempore audentissimus quisque procurrebat. Similiter enim hoc diceretur, ut adventu Caesaris et similia. Nam ut agmina et armorum fulgores aequales esse audentissimi cuiusque procursui significaretur, dici profecto oportuit audentissimo quoque procurrente. Itaque cum nec ad superiora nec ad posteriora verba recte illa possint referri, singularem quandam sententiam, quae nec ad superiora nec ad posteriora pertineat, eis contineri necesse est. Nihil igitur aliud relinquitur, nisi ut cum viro quodam docto in ephem. Jen. a. 1815. Suppl. 94. scribas: audentissimi cuiusque procursus; quae sane facilis est correctio, cum proximi vocabuli littera prima sit eadem, in quam desinit id quod praecedit. Hac emendatione si omnes tolluntur difficultates, nihil profecto est, cur eam repudiemus. Ac tolluntur sane, cum haec eis contineatur sententia aptissima: Heeresbewegungen fanden statt (non audiendum est igitur, quod Kritzius audiri putabat

movebantur vel incedebant, nec quod Orellius volebat conspiciebantur, sed id quod tritissimum est erant) und es zeigte sich Waffenglanz (armorum autem fulgores pariebantur ipsis agminibus), die Wagehalsigsten sprangen vor, id quod tali in tempore in conspectu hostium fieri solet. Absolvitur igitur oratio tribus membris, quorum alterum conficitur verbis agmina et armorum fulgores, alterum his audentissimi cuiusque procursus sc. erant, tertium denique verbis simul instruebatur acies. Primum autem et alterum membrum per se quodque effertur, ut non modo non opus, sed ne apta quidem sit copulandi particula. Ceterum satis perspicuum est dici hoc loco agmina et procursus Caledoniorum, cum Romanos ad arma discurrisse eorumque aciem instructam esse finita Agricolae contione c. 35. sit narratum; id quod non monerem, nisi Waltherus ad Romanos haec pertinere statuisset.

Virg. Aen. X, 186. Certum est, ut et ante et post singuli militum duces sunt commemorati, sic etiam hoc loco de uno Ligurum duce sermonem esse; idque satis perspicue arguunt verba: te Ligurum ductor fortissime bello. Is autem fuit Cupavo, cuius in omnibus codicibus constanter servatum nomen est quemque paucis de patre eius Cycno verbis interpositis versu 194. repetit. (filius, aequalis comitatus classe catervas). Hoc si verum est, apparet errare eos, qui Cinyra pro vocativo habuerunt. Nec vero veriora sunt secuti ii, qui Cinyrae, quod amplexi sunt, pariter atque paucis cum participio comitate ita iungendum putarunt, ut ex aequo sit positum; nam nequaquam est veri simile iuxta paucos unum quendam esse nominatum, nisi dignitate praeter ceteros eum eminere ea ipsa narratione appareat. Quum igitur hoc constet, in omnibus omnino codicibus scriptum esse Cupavo nec in Servii codice fuisse Cinyrae, dubiumque etiam sit, num eius loco scriptum fuerit Cunare — nam verba quidam duci nomen tradunt a Cunare admodum suspecta sunt —, cumque, quae mox de Cycno traduntur, opinionem afferant, eam quae inter Cupavonem et Cycnum intercesserit necessitudinem iam ante esse indicatam: haud scio, an ceterorum mendorum Cingre et, Cigne et vel Cygnae et habita ratione oratio sic sit refingenda:

Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Transierim, Cycnide, paucis comitate Cupavo.

De primae syllabae brevitate nihil est cur dubitetur. Eadem mensura utitur Horatius Od. IV, 3. 20.

O multis quoque piscibus
Donatura cygni, si libeat, sonum.

Verba crimen amor vestrum spectant ad pennas olorinas, quae sumtae a Cycno patre, qui quod Phaëthontem non desierat lugere, in olorem erat mutatus, insigne erant galeae, quam gerebat filius, nec ullam aliam ortus earum causam fuisse significatur, nisi mirificum Cycni in Phaëthontem amorem.

Cic. Brut. 8, 31. Quae codicum sunt confirmata auctoritate: his opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat verbis, ea frustra tutari quidam sunt conati. Nam verbis Socratem usum esse, non fustibus aut aliis rebus similibus et sua sponte patet et declaratur eis quae praecedunt verbis subtilitate quadam dicendi. Quodsi ad colloquia Socratis id velis referre, ut voce, non litterarum monumentis quaestiones profligasse dicatur, et ipsi sophistae verbis vel voce editis vel scriptis usi sunt, recteque iam pridem ita sermonibus certe dici oportuisse Ellendtius docuit. Itaque fuerunt, qui, ut Ellendtius, O. Jahnius, Pideritius, verbis nulla alia in eius locum substituta vocula verborum contextu expellerent. Sed quemadmodum quomodo ortum sit id vocabulum non potest intelligi, nisi aliud quoddam eius loco scriptum fuerit, unde oriri potuerit: ita praetermisso eo oratio minus cadit numerose. Ac nisi voculam Cicero postremo loco posuisset, cuius vel maxime vim vellet eminere, procul dubio hunc verborum ordinem instituisset: qui subtilitate quadam dicendi eorum instituta refellere solebat. Quod autem, si minus illa ratio probari posse videretur, idem Pideritius coniecit: ex variis huius et uberrimis sermonibus, id probari non potest propterea, quia nec praepositionis transpositio dubitatione caret et pronomen huius loco, quem principio habet, movetur aptissimo. Iam si quaeritur, quid Tullius, cum disputandi subtilitatem (διαλεκτικήν) commemorasset, qua sophistarum instituta refelleret, praeterea aliud tamquam Socratis proprium notare potuerit, nihil profecto aliud id esse potuit, nisi acerbitas quaedam, qua in subtiliter disputando usus sophistarum instituta refellebat. (Socratis illa εἰρωνεία). Quae cum ita sint, commendo haec: qui subtilitate quadam dicendi eorum instituta refellere solebat acerbius. Saepenumero sententiam desinere in adverbium, ut vis eius emineat, satis notum est. Cf. Cic. de Legg. III, 14. 32. sed haec et nunc satis et in illis libris tractata sunt diligentius. Cic. de imp. Cn. Pomp. 7, 17. quorum vobis pro vestra sapientia, Quirites, ratio habenda est diligenter. In hoc comparativo autem minime inest vis nimiae acerbitatis, quae digna reprehensione sit, sed acerbitatis vulgarem modum excedentis (in etwas oder ziemlich bitterer Weise). Res notissima est, ut praeter illum Ciceronis de Legibus locum non opus exemplis sit.

Cic. Brut. 29, 110. Quum verba: in quibusdam laudandis viris probabilis tamen industria, quae codicum auctoritate prope omnium sunt confirmata, ad Rutilium et Scaurum pertinere putarent, Ernestius coniecit: in quibus sane laudandis viris et alius quidam vir doctus: in quibus tam laudandis viris. Nostra autem aetate Ellendtius, cuius probavit rationem Piderit, ceteris verbis paululum mutatis commendavit haec: in quibusdam laudandi viri; etiamsi maximi ingenii non essent, probabiles tamen industria. Isto modo exiguam quandam laudem patet Rutilio et Scauro tribui. Sed etiamsi illud nolis urgere, perquam frigidum et inficetum hoc esse, cum modo neutrum summi oratoris laudem habuisse dixerit, certe Scaurum et Rutilium, ut modo commemoratos, pronomine ille monstrari oportuit, non potuerunt generaliter viri nominari. Deinde neutrum genus pronominis (in quibusdam) haud parvam dubitationem habet. Denique quod summum est, non possunt haec verba in quibusdam laudandandi viri; etiamsi maximi ingenii non essent, probabiles tamen industria ad Rutilium et Scaurum referri propter ea quae deinceps sequuntur verba: quamquam his quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. Quippe particula quidem pronomini his addita satis indicatur excipi Rutilium et Scaurum nec contineri numero eorum, qui maximi ingenii non videantur fuisse; certe non omni ex parte illud in eos cadere significatur. Quam igitur sententiam putabimus praemissam fuisse? Procul dubio haec fuit, quosdam laudandos viros, etiamsi maximi ingenii non essent, probabili tamen industria fuisse. Sed parum recte haec sententia sine particula infertur. Et facillimum sane est particulam et ante verba in quibusdam restituere, cuius facilis post erat omissio fuit. Orationem igitur sic puto refingendam esse: de Scauro et Rutilio breviter licet dicere, quorum neuter summi oratoris habuit laudem et uterque in multis causis versatus erat. Et in quibusdam laudandis viris, etiamsi maximi ingenii non essent, probabilis tamen industria; quamquam his quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. Und bei manchen lobenswerthen Maennern fand, wenn sie auch nicht von sehr grosser Begabung waren, doch der Fleiss Beifall; obwohl den genannten (Scaurus und Rutilius) nicht Begabung überhaupt, sondern nur rednerische Begabung abgieng.

Brut. 66, 234. in codicibus haec sunt: sic intervallis exclamationibus voce suavi et canora admirando irridebat calebat in agendo ut quae deerant non desiderarentur. Nolo hoc loco varia virorum doctorum commenta parum probabilia enumerare et exagitare, sed simpliciter quomodo huic loco desperato, quem nemo adhuc recte constituisse videtur, subveniendum putem, exponere. Scilicet, ut

mox ipse plane dicit, hoc Tullius voluit declarare, Cn. Lentulum excellenti actione ceterarum virtutum dicendi mediocritatem occultasse. Qualis autem fuerit illa actio, definitur verbis *calebat in agendo*. Calor igitur agendi tantus in Cn. Lentulo fuit, ut ceterae virtutes, quibus carere orator perfectus non potest, deesse non viderentur. His igitur verbis continetur sententia principalis, quae reliquis verbis accuratius definienda est. Quapropter grato animo puto accipiendum esse, quod ex mendo *irridebat* expressit Lambinus, sed ita, ut reliqua quae ille excogitavit (sunt autem haec: *admirando irridendo latebat in agendo*) plane spernantur. Reliqua, ut prodita sunt, retinenda arbitror, ut Tullius haec scripsisse videatur: *sic intervallis exclamationibus, voce suavi et canora, admirando irridendo calebat in agendo, ut quae deerant* (acumen ingenii et verborum copia) *non desiderarentur*. Binis igitur vocabulis singula membra conficiuntur, ita ut primum et extremum careat copulandi particula, alterius duo nomina copulandi particula iuncta sint, quippe cum his non diversae, sed cognatae res denotentur. Iam si, quomodo etiam *voce suavi et canora* actio calere possit, quaeritur, *actionis* vis latius patet nec solum ad gestum, vultum habitumque corporis, sed etiam ad vocem pertinet. Cf. Cic. de Or. III, 57. 214. *quae sic ab illo esse acta constabat oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent*, ipseque plane dicit vocem quoque esse actionis de Or. III, 11. 41. *nam de voce nondum ea dico, quae sunt actionis*. Quemadmodum igitur Brut. 63, 227. *actio vitio vocis claudicare* dicitur, sic etiam h. l. in laudem dici potest Lentulus *calere voce*. *Admirandi* verbum iunctum cum verbo *irridendi* non verae, sed simulatae et per irrisionem factae admirationis vim habet, velut de Or. I, 37. 243. *cum et illud nimium acumen illuderes et admirarere ingenium Scaevolae, qui excogitasset nasci prius oportere, quam emori*. Eadem quae ego verba Ciceroni olim iam vindicaverat Ellendtius in priore Bruti editione, sed aliter et interpunxerat et interpretatus erat. Interpungebat autem sic: *intervallis exclamationibus, voce suavi et canora, admirando irridendo calebat, ut in agendo quae deerant non desiderarentur* et interpretabatur hunc in modum: *ut inter agendum quae deerant non desiderarentur*. At ita *inter agendum* dici oportuit, non *in agendo*, et parum definitur res ipso calendi verbo, non addita re, in qua caluerit. Itaque iure eum postea huius coniecturae poenituit; sed quam ipse novam commendavit: *intervallis exclamationibus, voce suavi et canora admirandum in modum calebat in agendo, ut quae deerant non desiderarentur*, ea probari profecto non potest, quia et nimis a codicum vestigiis recedit et tertio in ea membro aegre caretur.

Cic. Brut. 64, 230. Demonstrare vult M. Tullius Hortensium non solum cum aequalibus, sed et cum superioribus et cum iunioribus coniunctum fuisse. Et superiore cum aetate ut coniunctum eum fuisse ostendat, commemorat Crassum, Philippum, Sulpicii aequales, et ita quidem, ut vivo Crasso, etiamsi eum non aequaverit, tamen solitus sit dicere et magis iam etiam viguerit (in groesserer Geltung stand) quam Antonius, Crassi aequalis et aemulus, sed eloquentia tamen paullo illo inferior. Sic enim ablativum *Antonio* puto accipiendum esse, ut comparatio denotetur; nam et recte Bernhardy negavit *vivo* ex eis quae praecederent verbis mente repeti posse, nec si cum Pideritio post *vigebat* orationi insereretur, recte se id haberet, si quidem Crassus et Antonius ita aequales erant, ut Crassus tribus annis minor natu esset Antonio; Antonius enim natus est a. 143, Crassus a. 140. et quatuor tantum annis post Crassi obitum occidit. Haec igitur teneo, ut tradita nobis sunt in codicibus, non item cetera, quae sic prodita sunt: *et cum Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente in illa causa, adulescens cum esset, princeps fuit.* Quid enim? non cum Philippo princeps fuit, sed cum uterque pro bonis Cn. Pompeii diceret, solus princeps fuit, Philippus autem discessit inferior. Quid igitur? Tolliturne plane pravitas Ellendtii cum praepositionem delentis coniectura aut Pideritii hac correctione: *et ut Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente in illa causa, adulescens cum esset, princeps fuit, ita et in eorum, quos in Sulpicii aetate posui, numerum facile pervenerat.* In utraque incommodum hoc est, quod *Philippo dicente* princeps fuisse dicitur nec ipse pro bonis Cn. Pompeii dixisse. In Pideritii autem coniectura praeterea comparatio per particulas ut — *ita* instituta displicet. Tollitur illud incommodum, si pro *dicente* restitueris *dicens*, ut Hortensius cum Philippo dicens pro Cn. Pompeii bonis in illa causa, cum esset adulescens, princeps fuisse dicatur. Propter eum, qui praecedit, ablativum *Philippo* facilius potuit *dicens* mutari in *dicente*, quam praepositio *cum* ante *Philippo* Ciceroni obtrudi. Orationem igitur sic puto refingendam esse: *si quidem et Crasso vivo dicere solebat et magis iam etiam vigebat Antonio et cum Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicens in illa causa, adulescens cum esset, princeps fuit, et in eorum, quos in Sulpicii aetate posui, numerum facile pervenerat.*

Cic. Brut. 91, 315. In codicibus haec verba nobis prodita sunt: *post a me Asia tota peragrata est cum summis quidem oratoribus.* Sed recte iam Piderit non peragrasse eum totam Asiam docuit cum summis oratoribus, quos ipse secum adduxerit, sed adiisse summos, qui illic fuerint, oratores eorumque institutione

usum esse, idemque veri inveniendi viam aperuit, cum sic orationem conformavit: tota a me Asia peragrata est et summis quidem oratoribus usus sum. Verum nec quomodo illo loco verba illa usus sum praetermitti potuerint intelligitur, et violenter sane cum mutatum est in et. Ego retento Pideritii invento usus sum Ciceronis orationem sic puto refingendam: post a me tota Asia peragrata est, cum summis sum usus quidem oratoribus. Sum usus post summis facile scribendi errore potuit praetermitti propter summam litterarum similitudinem. Particula quidem insolentius sane est collocata, sed vim utendi vult eminere, ut ne peragrasse tantummodo totam Asiam putetur, sed etiam summis oratoribus esse usus.

Cic. Par. IV. §. 27. codices haec habent: cum ferro pulsis magistratibus senatus nomen in republica non erat. Ostendit M. Tullius illam tum Romae non fuisse civitatem, quam vere hoc nomine possis nominare, cum leges nihil valuerint, iudicia iacuerint, cum ferro pulsis magistratibus nulla senatus auctoritas fuerit. Hanc eandem sententiam, quae non efficitur simpliciter omissa particula non, coniecturis suis sunt consecuti Peerlkamp (senatus nomen in republica inane erat) et Borger (senatus nomine in republica, non re erat). Sed cum nimis eorum coniecturae a codicum auctoritate discedant, nullo pacto possunt probari. In promtu est haec correctio: senatus nisi nomen in republica non erat. In codice archet. per litteras maiusculas scripto facilis fuit eius particulae omissio. Similiter Cic. de Legg. III, 18. 40. depravatam sanasse mihi videor orationem coniectura hacce: quod nisi in senatu non difficile est.

Cic. de Off. I, 4. 13. ut nemini parere animus bene informatus a natura velit, nisi praecipienti aut docenti, aut utilitatis causa iuste et legitime imperanti. Haec quae auctore Herm. Sauppio nostra aetate quidam ita mutari voluerunt, ut verba praecipienti aut loco suo exterminarentur, interpretatione egent, non correctione. Duobus prioribus participiis arctiore quodam vinculo consociatis unum quasi membrum conficitur, quod excipit alterum utilitatis causa iuste et legitime imperanti. Hoc quia amplius fuit, non potuit profecto illud participio contineri uno, quin membri utriusque tolleretur aequabilitas. Ceterum duo priora participia, quorum illud vim habet praescribendi, quod alii sequantur, hoc ad verum explicandum spectat, ad privatos homines pertinent, tertium ad eos qui in imperio sunt. Particulam aut non modo ad secernendas res diversas, sed etiam cognatas pertinere, quae nomine tantum discrepent, satis constat. Cf. Cic. Or. 2, 5. reliqui experti sunt, quid efficere aut quo progredi possent. Cic. pro Arch. 1, 2. dicendi ratio aut disciplina.

Cic. de Off. I, 9. 28. nam alterum iustitiae genus assequuntur, inferenda ne cui noceant iniuria, in alterum incidunt. Quicunque hos libros ediderunt, cum in incidendi verbo eandem vim inesse putarent, ut paucis interiectis verbis §. 29. in verbo incurrendi (in alterum incurrunt) aut ex iustitiae notione cogitatione depromserunt notionem iniustitiae, aut qui id fieri non posse intelligebant, ad coniecturam confugerunt. Et plerisque placuit coniectura in cod. Bernensi tentata: in altero delinquunt; Halmius autem in Add. ed. Orell. p. 742. coniecit: in alterum vitium incidunt. Illa ut ad sententiam aptissima est, ita, quia longissime a codicum meliorum auctoritate recedit, nullo pacto potest probari. Halmius autem non vidit, alterum vitium sic dici, quasi iam unum ante commemoratum sit vitium. Sed ne opus quidem est coniectura, cum incīdere in iustitiam vel incidere iustitiam idem sit atque tollere iustitiam. Similiter Cic. Ac. I, 10. 35. dixit nervos virtutis incidere i. e. virtutem tollere.

Cic. Off. I, 18, 61. Quae in codicibus scripta sunt:

Salmacida spolia sine sudore et sanguine

ea fere aut sic constituerunt:

Salmaci, da spolia sine sudore et sanguine

aut hunc in modum:

Salmacida, spolia sine sudore et sanguine.

Quo tendat oratio si reputamus, non potest dubium esse, quin qui opprobrio ignaviam dare voluerint, monstraverint res, quibus quis ignaviae argueretur. Ad hanc rationem parum accommodata est adhortatio ea, quae continetur imperativo spolia. Nam si quem hortamur, ut faciat aliquid quod sit ignaviae, subesse quidem ignaviam suspicamur, ipsa ignaviae documenta non sunt parata. Necesse autem est opprobrio dari ea, quae aperta ignaviae documenta sint. Hoc sane non cadit in alteram scripturam: da spolia sine sudore et sanguine, si quidem spolia sine sudore et sanguine i. e. spolia sudore et sanguine non polluta ignaviam eius, qui gerebat, patefaciebant. At dare spolia quomodo possumus quemquam iubere, cum caesi demum militis arma detracta spolia recte dicantur? Atque etiam dubitari potest, num homo ignavus recte Salmacis vocetur, qui fuit fons Siciliae, qui, quicunque ex eo biberant, eos ignavos reddebat. Salmaciden appellari oportuit, non Salmacidem. Quae si reputamus animo, non videtur dubitari posse, quin qui ignaviam opprobrio dare velit, simpliciter spolia, i. e., arma caeso hosti detracta monstret, quae quod sine sudore et sanguine sint, sint ignomniae. Haec autem vis et sententia inest in ea, quae codicum auctoritate nititur, scriptura:

Salmacida spolia sine sudore et sanguine;
quam ab uno Baitero video revocatam, nec tamen, cum ab eius instituto id abhorreret, argumentis confirmatam. Salmacida autem repetendum est a voce Salmacis; quod etsi nomen substantivum est, tamen adiectivi vim et naturam videtur induere posse addito substantivo. Similiter graece Σκυθίς non modo substantivi instar est, sed dicitur etiam Σκυθὶς γυνή vel σκυθὶς γῆ. Cf. Arr. An. IV, 15. 3.

Cic. Off. I, 20. 69. Heinius et Baiterus post Beierum et alios animi post voluptate unius cod. Guelpherbytani auctoritate perquam exigua verborum contextu exterminari voluerunt, cum alii quidam nimia pro ea substituissent. At vero retinendum illud est pertinaciter ac referendum non modo ad voluptatis, sed etiam ad aegritudinis voculam. Nam etsi aegritudo plerumque de animo dicitur, ut nihil sane addi opus sit, quo animi, non corporis aegritudinem declarari significetur, nihil tamen impedit, quo minus, cum voluptas animi (innere Lust), quae nihil differt a laetitia gestiente, a voluptate universa, quae etiam ad corpus pertinet, discernenda sit, ad hoc etiam referatur. Similiter interdum e contrario additur corporis, ut ab animi voluptate discernatur. Cf. Cic. lat. Mai. 12, 39. nullam capitaliorem pestem quam corporis voluptatem hominibus dicebat a natura datam, cuius voluptatis avidae libidines temere et effrenate ad potiundum incitarentur.

Cic. Off. I, 20. 70. His idem propositum fuit quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur. Ex prohibendi particula ne quae praecedit particulam ut facile mente repetendam putabant. Ego vero huius loci aliam esse rationem puto atque eius, qui est apud Cic. Phil. 11, 5. denuntiatum est, ne Brutum obsideret, a Mutina discederet. Quippe hoc loco adhortatio et simplici coniunctivo et particula ut denotari potuit, nec aequabilis membrorum ratio particulam postulabat. Hoc loco in promtu est tolli membrorum aequabilitatem, si particula ut omittatur. Itaque restituendam eam existimo ante uterentur, quo loco propter easdem quae sequuntur litteras facile praetermitti potuit. Quare haec verba sic refinxerim: ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate ut uterentur.

Cic. Off. I, 22. 74. Nostra aetate auctore Sauppio (in schol. Gott. hib. 1857.) Baiterus et Heinius verba et cupidi bellorum gerendorum a Cicerone abiudicarunt, quia condicionali sententia idem atque principali declararetur. Simile id esse et cognatum concedo, non idem. Nam illa: quaerere bella propter gloriae cupiditatem spectant ad singula facta, haec: cupidi bellorum gerendorum ad animi habitum. Et quemadmodum pecuniam quispiam quaerere potest ob hanc vel illam

causam, etiamsi non sit inflammatus pecuniae cupiditate: sic bellum quoque potest quaerere cum alias ob causas, tum ob gloriae cupiditatem, etiamsi bellorum gerendorum non admodum sit cupidus. Itaque non inepte indicat tum maxime bella quaeri, si sint et apti ad rem militarem et cupidi bellorum gerendorum, hoc est, si ipsis bellis gerendis delectentur.

Cic. Off. I, 29. 104, quo loco M. Tullius de duplici iocandi genere, liberali et illiberali disserit, in codicibus scripta haec sunt: alter est, si tempore fit ut si remisso animo homine dignus. Unde qui ecfecerunt si tempore fit aut si remisso animo, magno homine dignus est, ut Madvigius et Baiterus, ii a vero aberrarunt. Nam hoc sic diceretur, quasi, si modo remisso animo iocus fieret, tempore eum fieri non oporteret. Quare laudandus est Seyffertus, qui certe et statuit scribendum esse. Commendavit enim (Zeitschr. f. Gymn. XV. p. 63) haec: alter est, si tempore fit et si remisso animo, maximo homine dignus, cet.) Sed multo profecto melius Ungerus et Scheibius, cum pertinere haec verba intelligerent ad iocantis consilium, ecfecerunt: ut sit remissio animo. Atque idem Scheibius cum aliis multis ante homine excidisse Adiectivum vidit. Sed neque quod ipsi placuit liberali, nec quod Heinius commendavit amplo vel ingenuo, nec quod commendatum a Madvigio probavit Baiterus magno, nec denique quod Seyffertus coniecit maximo, mihi probabile videtur. Libero homini, i. e., ei, qui cum nulla sit re alia conspicuus, tamen libertate utitur, contrarius est homo summus (der hochgestellte Mann). Cf. Cic. Off. II, 8. 30. ut non multum differat inter summos et mediocres viros. Quemadmodum autem ad sententiam hoc adiectivum vel maxime est accommodatum, ita etiam in codice per litteras maiusculas scripto facile propter litterarum similitudinem post verba si animo (SIAMO) scribendi errore praetermitti potuit.

Cic. Off. II, 5. 18. Hominum autem studia ad amplificationem nostrarum rerum promta ac parata virorum praestantia, sapientia et virtute parantur. Haec verba etsi mirifice coniecturis tentata existimo recte se habere. Et haec quidem his verbis continetur sententia aptissima: quam ex rebus inanimis et ex tractatione beluarum utilitatem capimus, ea paritur artibus operosis, hominum autem studia ad res nostras augendas promta ac parata parantur ea praestantia, quae virorum est, i. e. talium, qui hoc nomine vere digni sunt (durch maennliche Vorzuege, d. h. Vorzuege, wie sie Maennern im aechten Sinne des Wortes eigen sind). Haec autem ipsa virorum praestantia cernitur in sapientia et virtute. Haec igitur duo nomina non παρατακτικῶς, sed per ἐπεξήγησιν praestantiae nomini puto addita esse. Quorum alterum spectat ad cognoscendum, ad agendum alterum: quibus duabus

rebus viri eius, qui Tullii hoc loco animo obversatur, absolvitur praestantia. Et viris quidem, non omnino hominibus, quibus et viri et feminae continentur, Ciceronem haec de officiis praecepta dedisse, satis cognitum est. Similiter autem Cic. Ac. I, 11. 42. virtutis et sapientiae nomina videmus coniuncta esse, ut et cognitio ratioque et actio denotaretur. Virum autem latine saepe eum dici, qui vere hoc nomine dignus sit, satis notum est. Cf. Cic. Coel. 5, 11. cum is se iam corroboravisset, ut vir inter viros esset.

Cic. Off. II, 8. 30. In codice archetypo procul dubio haec fuerunt: haec enim est una res prorsus ut non multum differat inter summos et mediocres viros eaque utrisque est propemodum comparanda. Pridem Gronovius intellexit non ferenda illa esse: est propemodum comparanda. Est enim ea res prorsus, non propemodum comparanda. Itaque ad sententiam ille recte coniecit pari modo, verba non assecutus est. Verius iam divinavit C. Beierus eaque utrisque aeque est propemodum comparanda. Sed lapsus ille in eo est, quod eaque retinuit, non in locum eius aeque substituit. Idem reprehendendum est in Bezzenbergero et in Stuerenburgio, itemque in Muthero, qui hoc etiam nomine est reprehendendus, quod verborum ordine mutato scripsit: haec enim est una res prorsus eaque ut non multum differat inter summos et mediocres viros, aeque utrisque est propemodum comparanda. Facillima sane correctione mendum codicum Lund sustulit eo, quod verbis eaque mutatis in adverbium aeque alteram voculam est post utrisque verborum contextu exterminavit; cuius correctionem Baiterus ita probavit, ut superiorem particulam est ante una tolleret, posteriorem ante propemodum retineret; in quo difficile est ei assentiri, cum, quomodo facta correctione eaque altero loco est inseri orationi potuerit, facile intelligatur, non item perspicuum sit, quomodo post una potuerit inculcari. Probabiliorem igitur duco Lundii coniecturam ab Heinio quoque receptam, quam eo tantum nomine reprehendo (quae reprehensio in Baiteri quoque coniecturam cadit), quod voculam prorsus ad verba haec enim est una pertinere putavit, cum utique sit illa referenda ad ea, quae sequuntur verba ut non multum differat inter summos et mediocres viros. Sic facile etiam perspicitur voculam est ad participium comparanda pertinere, ad quod referri profecto non posset, si prorsus ad verba superiora referres. Sententia igitur haec est: dies ist die einzige Sache, bei welcher zwischen hochgestellten Maennern und Leuten gewoehnlichen Schlages gar kein grosser Unterschied ist und die beide Theile sich in gleichem Maasse erwerben muessen. Non possumus enim nos Germani, quae una sententia Romani complexi sunt, et ipsi una

reddere sententia. Romanorum si nos vellemus imitari rationem, hoc modo interpretaremur: Dies ist als die einzige Sache von der Art, dasz gar kein groszer Unterschied zwischen hochgestellten Maennern und Leuten gewoehnlichen Schlages besteht, von beiden Theilen in gleicher Weise zu erwerben. Itaque verba una res non sunt instar subiecti, quod vocant, sed ad verbi vim definiendam pertinent.

Cic. Off. III, 3. 15. quod item in poëmatis, in picturis usu venit in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti laudentque ea quae laudanda non sint, ob eam credo causam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui iidem, quid in una quaque re vitii sit, nequeant iudicare. Quod in codicibus et plerisque et optimis est idem i. e. iidem, id parum prudenter nostra aetate quidam aut exterminari voluerunt aut mutari in particulam quidem. Ego vero aliter sentio verumque illud puto. Scilicet non ad solum nomen ignaros, sed ad eos pertinet, qui ignari probo illo, quod inest, capiuntur, eosdemque dicit qui probo illo capiantur, quid in unaquaque re vitii insit, non posse iudicare. Verto autem sic: ich glaube aus dem Grunde, weil darin wohl etwas Richtiges sich findet, was Unkundige fesselt, waehrend sie doch nicht gleichzeitig das Fehlerhafte beurtheilen koennen, was in einer jeden Sache liegt. Paulo ante displicet genus neutrum (aliisque compluribus). Artes cum ante sint nominatae, exspectaveris artibus, sed probabilius tamen est post compluribus propter litterarum similitudinem excidisse rebus.

Cic. III, 4. 19. quod Ungerus coniecit: immo vero honestas (sc. vicit) utilitatem et honestatem utilitas secuta est vel similiter particula et omissa Baiterus: immo vero honestas utilitatem, honestatem utilitas secuta est et quod multis placere videtur, id nec necessarium est nec Ciceronis menti prorsus convenire videtur, qui quidem non videtur hoc dicere voluisse, magis honestate ductos Romanos tyrannum occidisse, quam utilitate, sed honestum illud factum secutam tamen esse utilitatem; sed hoc potius, etsi utilitatis causa tyrannum occiderint, tamen hoc utile factum idem honestum esse visum. Hoc satis videtur elucere ex eis, quae ante in hanc sententiam disputavit, esse quae, etsi plerumque turpia haberi soleant, tamen honesta esse inveniantur. Atque haec ipsa sententia inesse videtur in verbis eis, quae ex codicibus sunt excerpta: vicit ergo utilitas honestatem? immo vero honestas utilitatem secuta est. Nam sequi aliquem tamquam comitem saepe idem est, atque coniunctum esse cum aliquo. Cf. Cic. Lael. 20, 74. dispares enim mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicos.

Cic. Off. III, 6. 28. Quae in codicibus scripta sunt: cuius societatis arctissimum vinculum magis esse contra naturam hominem homini detrahere sui

commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa vel corporis vel etiam ipsius animi quae vacent iustitia, ea vim habent contrariam ei, quam hoc loco requirimus. Nam cum hoc dici oporteat, omnia nos incommoda vel externa vel corporis vel animi subire oportere, ut conservetur iustitia, vel quae cum iustitia conservanda sint coniuncta, haec fere illis declaratur sententia, nos omnia incommoda subire oportere, quae non sint coniuncta cum iustitia, h. e., quae non pariantur ipsa iustitia. Itaque alii pro iustitia substituerunt iniustitia, quod ipsum iam tentatum est in codice quodam Ubaldini, aut negandi particula addita commendarunt: quae non vacent iustitia. Quorum neutrum potest probari. Nam quae sequuntur verba: haec enim una virtus omnium est domina et regina virtutum, satis clamant iustitiae, non iniustitiae nomen ante commemoratum esse. Et quod unum ab eis, qui coniecturam iniustitia amplexabantur, afferri potuit simile exemplum (Cic. Off. I, 9. 28.), eo neminem iam post meam de hoc loco disputationem p. 11. puto usurum esse. Alterum autem quominus probem, duo impediunt. Primum displicet negatio (non vacent), pro qua exspectaveris affirmationem; deinde vero, ut verbis hominem homini detrahere opposita sunt haec: subire omnia incommoda vel externa vel corporis vel etiam ipsius animi, sic desidero nomen quod oppositum sit verbis illis sui incommodi causa. Hoc si ita est, vocem postremo loco positam — nam nulla alia illis potest opponi — necesse est pertinere ad sententiam principalem, non ad sententiam relativam, ad quam vulgo refertur. Quo simul hoc efficitur, ut iustitiae vis magis emineat aptiusque adiungantur illa: haec enim una virtus omnium est domina et regina virtutum. Commendo igitur hanc emendationem: quam omnia commoda subire vel externa vel corporis vel etiam animi quae vocant, iustitia. Adduntur autem verba quae vocant, quia vulgo mala illa appellabantur, non incommoda; quo nomine Stoici utebantur, quorum his libris sequitur doctrinam; itemque quae vulgo bona, Stoici commoda dicebant. Cf. Cic. de Legg. I, 21. 55. nunc vero, quom decus quod antiqui summum bonum esse dixerunt, hic solum bonum dicat, itemque dedecus illi summum malum, hic solum, divitias, valetudinem, pulchritudinem commodas res appellet, non bonas, paupertatem, debilitatem, dolorem incommodas, non malas, sentit idem quod Xenocrates, quod Aristoteles, loquitur alio modo.

Cic. Ac. I, 12. 45. Quae exarata in codicibus paene omnibus sunt et in cod. archet. fuisse certum est: huic rationi quod erat consentaneum, faciebat, ut contra omnium sententias dies iam plerosque deduceret, ea mendosa

esse apparet intellectumque a plerisque est. Unus Goerenzius in recentioribus sublata particula iam cetera mordicus tenuit et ita interpretatus est, ut dies plerosque omne fere tempus esse diceret, deducere autem dies imitationem esse illius locutionis filum deducere. In quo merito ille neminem nactus est assentientem. Prudentius certe vel Gesnerus coniecit: contra omnium sententias dicens eo plerosque deduceret, vel Madvigius: contra omnium sententias dicens in eam (sc. sententiam) plerosque deduceret. At eis quae sequuntur verbis: ut cum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assensio retineretur, non quid effectum ea disputatione sit declaratur, sed quid Arcesilas secutus sit indicatur. Quid igitur faciebat, ut ab utraque parte assensio sustineretur? Diluebat contra omnium sententias disputans plerosque eo consilio, ut cum paria contrariis in partibus rationum momenta invenirentur, assensio facilius sustineretur. Quod autem contra omnium sententias disputans plerosque tantummodo diluisse dicitur, id sic interpretor, ut, cum nullius sententiam probaret et contra omnia disputaret, tamen summa tantum auctoritate philosophos plane diluisse eum arbitrer. Commendaverim igitur haec: ut contra omnium sententias disputans plerosque dilueret. Certe hanc ego correctionem multo duco probabiliorem, quam eam, quae ab Halmio excerpta est ex codice Gedanensi ut contra omnium sententias disserens de sua (sc. sententia) plerosque deduceret; nam hanc quoque nihil nisi coniecturam esse certum est. Disputans commendavi, non modo quod disputare proprium philosophorum est — nam iidem etiam disserere recte dicuntur — sed quia, quomodo ortum sit mendum dies iam, facilius intelligitur.

Cic. Ac. II, 43. 133. in codicibus prodita nobis haec sunt: quid? quae dicuntur quid (vel quidem, vel quae) et acuta mihi videntur in utramque partem et paria, nonne caveam, ne scelus faciam? Duo sunt hoc loco, quae perquam evidentia et perspicua sunt et male se habere particulam quidem, qua dicendi notio acuatur et subiici oportere principali sententiae eam, quae contineatur verbis illis: et acuta mihi videntur in utramque partem et paria. Hanc rationem, secutus et Madvigius (Emend. Tull. I, p. 204) Guieti probavit coniecturam: quid? quod quae dicuntur et acuta mihi videntur in utramque partem et paria? et Moserus (symb. crit. IV, 9) coniecit: quid? si quae dicuntur, et acuta mihi videntur in utramque partem et paria, nonne caveam cet. et pridem Davisius coniectaverat: quid? cum quae dicuntur et acuta mihi videntur in utramque partem et paria, nonne caveam cet. Sed ut iure nec Davisii nec Madvigii coniecturam quisquam probavit, ita ne Moseri quidem coniectura, quam

Halmius simul verbis in utramque partem transpositis in verborum contextum recepit, potest probari. Nam etiamsi illud velis omittere, quod causae magis quam condicionis notio h. l. requiritur, temeritatis tamen videtur esse voculam quid vel quidem vel quae in codicibus inventam tollere nulla in eius locum substituta voce alia et quo loco nullum voculae praetermissae in codicibus vestigium exstat, ibi eam orationi inserere. Equidem commendaverim haec: Quid? quae dicuntur (ab Academicis et Stoicis) quia vel quoniam et acuta mihi videntur in utramque partem et paria, nonne caveam, ne scelus faciam? Verborum transpositione, quam ab Orellio commendatam ascivit Halmius, non videtur opus esse. Nam etsi usitatius diceretur quae dicuntur in utramque partem, facile tamen auditur ab Academicis et Stoicis; nec vero minus recte, opinor, dicitur, esse quae disputentur in utramque partem (nach beiden Seiten hin) acuta, ut in utramque partem acute disputatum esse significetur.

Cic. de imp. Cn. Pomp. 7, 18. in omnibus codicibus aequabiliter scripta haec sunt: etenim primum illud parvi refert nos publicanis amissis vectigalia postea victoria recuperare. In his, amissis ut tuerentur, frustra quidam elaborarunt. Amissio enim publicanorum parum convenit eis quae sequuntur verbis: neque isdem redimendi facultas erit propter calamitatem; quibus quidem verbis esse publicanos indicatur, sed tales tamen esse, ut propter rei familiaris iacturam vectigalia non possint redimere. Quapropter Halmius hanc proposuit coniecturam: nos publicanorum bonis (vel fortunis) amissis vectigalia posse ipsa victoria recuperare. Verum etiamsi illud nolis premere, quod tamen luce clarius est, verba publicanorum bonis amissis non satis iusta contineri sententiarum necessitudine cum illis vectigalia posse ipsa victoria recuperare, violentior illa coniectura est, quam quae possit probari. Prudenter haec verba emendasse videtur Putschius, qui pro amissis substituit omissis. Sed idem tamen parum recte haec interpretatus est sic: „wenn wir sie ietzt auch aufgeben, uns ihrer nicht annehmen.“ Ego vero sic interpretor: und es will ia erstens wenig sagen, wenn wir mit Beiseitelassung der Zollpaechter die Steuern nachher in Folge siegreichen Kampfes wieder bekommen; denn es werden weder dieselben Personen wegen ihres Unfalles im Stande sein die Pachtung wieder zu uebernehmen, noch werden Andere aus Furcht (vor aehnlichen Unfaellen) sich dazu entschlieszen.“ Pronomen illud non monstrat aliquid, quod contendatur aut obiiciatur — ita pro etenim dici oportuit nam —, sed rem ipsam, i. e., vectigalium recuperationem sine publicanorum opera: quae quidem per infinitivum effertur tamquam mente et cogitatione concepta nec vero aut in futurum tempus reiici-

tur aut talis describitur, quae possit fieri. Qua propter parum recte Halmius dubitat, num recte se habeat infinitivus praesentis.

Cic. de imp. Cn. Pomp. 23, 68. Particula ut adiuncta illa verbo videndi vulgo consilium denotari dicunt. Itaque videre ut plerumque sic interpretantur, ut idem esse dicant atque curare ut. Nec dubium profecto est, quin plerumque haec ei vis sit tribuenda. Quis enim aliter intelligat illa, quae sunt apud Cic. pro Quintio 5, 20. Tunc appellat ultro Naevium, ut — videret, ut quam primum et quam minima cum molestia tota res transigeretur, vel de Off. I, 14. 42. videndum est, ut benignitas pro dignitate cuique tribuatur. At si loco supra indicato verba: quare videte, ut horum auctoritatibus illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur, in eandem accipiunt sententiam et cum Halmio sic interpretantur: „sorget dafuer, dasz man sagen koenne, wir koennten auf die Einrede antworten, was geschehen wird, wenn auch eure auctoritas sich der unsrigen anschlieszt,“ hoc non minus inficetum est, quam si ad Att. VII, 14. 3. verba: de mulieribus nostris quaeso videas, ut satis honestum nobis sit eas Romae esse, cum ceterae illa dignitate discesserint, sic velis interpretari: sorge dafuer, dasz es fuer uns anstaendig genug sei vel sorge dafuer, dasz man sagen koenne, es sei fuer uns anstaendig genug. Scilicet non hoc vult Atticum curare, ne sibi sit dedecori mulieres suas Romae manere, cum ceterae eiusdem dignitatis discesserint, sed hoc eum vult iudicare, quatenus sibi illud honestum sit, mulieres suas Romae manere, cum ceterae eadem dignitate discesserint. Atque haec efficitur sententia, si particulam ut non relativum adverbiale esse statueris, qua consilium denotetur, sed interrogativum adverbiale, ut idem sit atque quatenus. Quemadmodum igitur illo loco sententia haec est: vide, quatenus nobis honestum sit mulieres nostras Romae manere, ita hoc loco haec efficitur sententia: quare videte, quatenus horum auctoritatibus illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur, h. e., achtet darauf, in wie weit wir mit den maszgebenden Ansichten dieser Maenner der Sprache iener Andersdenkenden nach eurer Ansicht begegnen koennen, vel in wie weit wir die maszgebenden Ansichten dieser Maenner der Sprache iener Andersdenkenden nach eurer Ansicht entgegensetzen koennen. Particulam ut non modo relativum, sed etiam interrogativum adverbiale esse et ratio docet et confirmat consuetudo dicendi. Notum est profecto saepe id usurpari in exclamando. Cf. Cic. pro Mil. 24. 64. quae — ut sustinuit! ut contemsit ac pro nihilo putavit! de Fin. V, 22. 61. Et in ipsa interrogatione suspensa usurpatur ab ipso Cic. de Off. I, 21. 73. ad rem gerendam autem qui accedit, caveat, ne id modo con-

sideret, quam illa res honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem, h. e., er musz auch in Betracht ziehen, in wie weit er das Vermoegen hat, die Sache auszufuehren.

Cic. Tusc. I, 9. 19. Quum nostra aetate exstitissent, qui, ut Tischerus et Baiterus, verba et animosos et bene animatos et ex animi sententia tanquam spuria notarent, hunc locum egregie expedivit Mor. Seyffert, qui, quia eo tenderet oratio, ut promiscue animi et animae nomina usurpari ostenderetur, merito negavit verba illa posse exterminari, idemque verissime ex mendo codicum, si minus omnium, at optimorum communi declarant nomen expressit pluralem nomina pro eo, qui vulgabatur, Singulari numero. Quippe **a** facile praetermitti potuit propter subsequentem voculam nam. Huius disputationi nihil sane haberem, quod adderem, nisi, quot membris absolveretur oratio et quae sibi responderent membra, exponere omisisset. Est autem bimembris oratio et ita conformata, ut verbis mediis et animosos et bene animatas unum membrum, extremis et agere animam et efflare — et ex animi sententia alterum membrum conficiatur. Itaque in promtu est particulam et ante agere partiendi, quae deinceps sequatur ante efflare simplicem copulandi vim habere. Itemque in promtu est deprehendi hoc loco chiasmum quendam similem ei, quem Naegelsbach in libro suo (lat. Stilistik) §. 140. notavit et cuius ille haec exempla posuit. Cic. Off. I, 27. 95. contraque **falli**, errare labi, **decipi** tam dedecet quam delirare et mente esse captum. Cic. pro Sest. 38, 81. de eius virtute viri quid vos **loqui**, quid sentire quid cogitare, quid **iudicare** oporteat, dubitandum putatis?

Cic. Tusc. I, 9. 19. cum codices ad unum omnes haec teneant: ut multi ante veteres, proxime autem Aristoxenus, de Bentleii coniectura probata illa Tregdero Tischerus et Baiterus scripserunt: ut multo ante veteres. At non veteres universi, sed singuli veteres hoc statuerunt. Quapropter certe quidam addi oportuit. Multo prudentius hac in re versatus est Seyffertus, qui coniecit: ut nonnulli (n̄ulli) ante veteres. Quam ego probarem coniecturam, si esset necessaria. Sed non puto eam necessariam propterea, quod vocula multi, licet magnus eorum sit numerus, tamen singuli philosophi (Individuen), non genus philosophorum aut vulgus significatur.

Cic. Tusc. I, 10. 22. quae codicum auctoritate confirmata sunt omnium: cogitare enim et providere et discere et docere et invenire aliquid et tam multa alia, meminisse, amare odisse, cupere timere, angi laetari, ea nostra aetate complures exstiterunt qui impugnarent. Nam et O. Heinius in Jahnii Ann. 1862. p. 501. verbis aliquot transpositis sic orationem refinxit: cogitare enim et providere

et discere et docere et invenire aliquid et meminisse et tam multa alia, amare odisse, cupere timere, angi laetari cet. et cum Tischero Sorofius expulsa voce alia scripsit haec: cogitare enim et providere, et discere et docere, et meminisse aliquid et tam multa meminisse, eandemque coniecturam retenta voce alia, quae, si cum infinitivo meminisse verba tam multa alia coniunguntur, non facile explicatum habet, ascivit Seyffertus. Scilicet ut pleraque orationis membra binis verbis constant, ita totam bimembrem esse volebant. Sed non attendebant illi, etsi pleraque membra binis vocibus contineantur — cogitare et providere, discere et docere — amare odisse, cupere timere, angi laetari —, tamen dicendi ardorem reprimi paululum et minui numerum claudique orationem verbo uno (invenire aliquid), quod eo minus habet dubitationis, quod inveniendi verbo pronomen aliquid additur; mox autem e contrario post verba tam multa alia crescere numerum et augeri, ut unum illud verbum meminisse excipiant membra tria, quorum singula binis verbis constent. Habemus igitur hoc loco chiasmum numeri simillimum ei, quem verborum chiasmum vocant. Satis est eam rem h. l. breviter tetigisse; pluribus explicabo eam loco alio.

Cic. Tusc. I, 12. 27. Itaque unum illud erat insitum priscis illis, quos cascos appellat Ennius, esse in morte sensum. Haec, quae codices omnes tuentur, nemo eorum, qui ante Seyffertum hos libros ediderunt, mutaverat. Sed cum parum recte voci unum hanc vim tribuerent, ut excellentiam quandam eo denotari dicerent (Sorofius igitur in edit. Tischeriana ista sic convertit: nichts so sehr wie dieser eine Grundsatz): Mor. Seyffert, quia hanc notionem ab hac voce, nisi iungeretur superlativo, alienam esse prudenter negabat, levissima ut ait correctione coniecit: itaque unum illud erat insitum inprimis illis, quos cascos appellat Ennius. At nec ulla opus est correctione et in hac aegre desidero priscis. Tenendum ante omnia hoc est, non comparari quae hac de re sentiebant, cum eis quae aliis de rebus sentiebant (sic profecto opus erat vocula, qua hoc magis quam quidvis aliud eis insitum fuisse declararetur); sed quod hac in re eis insitum erat, id semper unum idemque fuisse dicitur. Unum igitur non subiecti instar est, sed verbo ad vim eius terminandam adiungitur. Es war die Ansicht (nam pronomen illud voce acuendum est) als die eine und gleiche den Altvorderen eingepflanzt.

Ibidem quae omnium codicum auctoritate confirmata sunt verba: mortem non interitum esse omnia tollentem et delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitae, quae in claris viris et feminis dux in coelum soleret esse, in ceteris humi retineretur et permaneret tamen,

in eis fuerunt nostra aetate qui haesitarent. Itaque quidam redux coniecerunt pro dux, Seyffertus autem hoc retento vocabulo haec scripsit: quae (sc. mors) in claris viris et feminis dux in coelum soleret esse, in ceteris retineretur, ut permanerent tamen. At nec opus est coniectura et utraque suo laborat incommodo. Quippe redux apud Ciceronem et aequales non habet vim reducendi, sed redeundi. In Seyfferti autem coniectura reprehendendam hoc est, quod pronomen relat. quae ad mortem relatum est. Quemadmodum nomini interitum, ut qualis sit interitus, accuratius definiatur, attributa sunt illa: omnia tollentem atque delentem; sic his nominibus migrationem commutationemque vitae par est addi sententiam relativam, qua quam vim habeat et qualis sit, explicetur. Est autem illa migratio commutatioque vitae talis, ut in claris viris et feminis, ut Hercule, Castore et Polluce, aliis, dux sit in coelum, in ceteris terrae fines non egrediatur, sed tamen sit perpetua (sie haelt sich auf der Erde, dauert aber fort). Itaque si migratio illa non ad tempus est, sed perpetua, certe immortales futuri sumus. Nimirum dicitur animorum ab aliis ad alios transitio. Nomini autem, cuius vis accuratius definiatur per genitivum, saepe aliquid ita attribui, ut utriusque nominis notio in unum quasi conflata definiatur, satis constat. Et recte nunc Cic. de div. I, 30. 62, id quod olim commendaveram in Exercitt. crit. p. 37., tranquillitati mentis quaerenti vera Guil. Christ in edit. Orell. ex optimis codicibus Ciceroni vindicavit.

Cic. Tusc. I, 33. 81. codices ad unum omnes haec tenent: cuius suorum similis fuisset Africani fratris nepos, facie vel patris, vita omnium perditorum ita similis, ut esset facile deterrimus. Particulam vel, qua, si velis, non modo de aliis, sed etiam de patre cogitare te posse significatur, in promtu est prorsus ab hoc loco alienam esse. Quapropter, cum plerique, qui hos libros ediderunt, sine ulla dubitatione id retinuissent, iure quodam suo Tischerus et C. Fr. Hermannus coniecturam tentarunt. Verum nec illud probaverim, quod Tischerus coniecit: facie et vultu patris, nec id quod Hermannus commendavit in Mus. Rhen. IV. p. 318: facie vel avi vel patris. Ego haec commendaverim: facie ille patris, vita omnium perditorum ita similis. Quo addito pronomine monstratur is tamquam homo, cuius omnibus cognita fuerit similitudo, quae facie ei cum patre, vita cum improbis fuerit. Cf. Ter. V, 4. 12. ego ille agrestis, saevus, tristis.

Cic. Tusc. I, 36. 88. etiamsi id facile patiare. Carere in morte non dicitur. Hoc nihil aliud nisi hoc est, cum de morte loquamur, carendi verbum non habere locum; id quod Ciceronis menti est contrarium, qui quidem paucis interiectis verbis affirmat dici id etiam in morte, sed ita, ut non vim habeat, non habendi, quod habeasne

necne nihil intersit, sed non habendi quod velis habere. Quod cum Herm. Sauppius intelligeret, haud inepte coniecit ita (i. e. in hanc sententiam) carere in morte non dicitur. Sed non attendebat ille, quod mox graviter diceretur bono carere, aegre careri in hoc verbo ablativo, id quod non fugiebat nec Madvigium nec Tregderum. Sed non malo, quod illi, sed simpliciter re est restituendum, quod idem, cum ipse pridem coniecissem, nunc video etiam Seyfferto placuisse. Sed ille praeterea adiuncto pronomine ea haec scripsit: ea re carere in morte non dicitur. At vero non de certa aliqua re agitur, qua quis non possit carere, sed hoc requiritur: in hanc sententiam (ut carere vim habeat non habendi quod habeasne necne nihil sane intersit) carere in morte non dici. Iam si litteras, quibus proxima vocula patiare constat, consideraveris accuratius et perquam facete haec gravius opponi attenderis eis quae praecedant, maxime probabilis videbitur haec emendatio: at ita re carere in morte non dicitur. In codice per litteras maiusculas scripto ATITARE propter magnam, quae inter has et praecedentes litteras PATIARE intercedebat similitudinem, aberrando ab altero ad alterum facile praetermitti potuit.

Cic. Tusc. I, 44. 107. Quod recte concluderetur, si quid esset quod non est, id corrigitur verbis nulla sine sensu, quae inveniuntur in codicibus omnibus nulla neque particula neque copula adiuncta. Vulgo addunt sunt post sensu, aut ut Tregderus et Baiterus post nulla; ac sane opus esse hoc verbo apparet, nisi secernendi particula sed praemittatur illis: nulla sine sensu, quam quidem particulam scite videtur Seyffertus ex codicum mendo SENTIRET elicuisse. Qua praemissa nequaquam opus est copula. Sed idem reliquorum exemplo deceptus particulam quam ante essent dura mutavit in quae. Monstrari ea, quae ante posuit, pronomine profecto non opus fuit; atque exclamandi vis, quae eius particulae propria est, saepe ita attenuatur, ut confirmandi et augendi vim induat. Cf. Cic. Verr. III, 88. 206. fecerunt alii alia quam multa. de Legg. II, 10. 23. conclusa quidem est a te magna lex sane quam brevi, sed, ut mihi quidem videtur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae. Ita perquam quod sequitur et cuius vis praemissa vocula per augetur, etiam aptius videtur.

Cic. Tusc. V, 37. 107. Quae in codicibus inventa sunt: at enim sine ignominia afficere sapientem, ea non dubium est quin sint depravata. Quorum cum correctionem alii aliter tentaverint: at enim sine ignominia. Ignominia poterit attingere sapientem? (Man. Or. Tisch.) at est in nomine ignominia. An ea afficere poterit sapientem? (Bentl.) at enim sine ignominia. An potest exilium ignomina afficere? (Wesenb.) At est non sine ignominia. Eamne attin-

gere sapientem? (Seyff.), proxime ad verum accessisse putandus est Bakius, qui cum, a quo cod. archet. transcriptus est, uno versu praetermisso aberrasse arbitratus ab altero ignominiae vocabulo ad alterum haec coniecit: at enim sine ignominia cogitare non licet exilium. Quasi ulla possit ignominia afficere sapientem! Sagaciter enim ille vidit, quomodo mendum et ortum esset et tollendum. Sed fugiebat eum tamen, latine parum recte dici ignominiam afficere sapientem, nisi, quomodo afficiat, addatur, id quod vere Seyffertus ait ab hoc loco alienum esse. Quae cum ita sint, viam ingressus quam Bakius praeivit, orationem sic refinxerim: at enim sine ignominia cogitare non licet exilium. Quasi vero id possit ignominia afficere sapientem! Ignominiosum enim negat exilium posse in sapientem cadere. Similiter Madvigius Cic. de Legg. I, 17. 45. uno, qui in cod. arch. praetermissus erat, versiculo restituto verissime haec coniecit: sua natura **iudicabitur. An arboris aut eculei ingenium sua natura** probabimus, ingenia iuvenum non item? Nempe illic quoque librarius a primo vocabulo naturae ad alterum aberravit.

Cic. de Legg. I, 19. 50. eo tendit oratio, ut neminem qui infamiae aut iudiciorum metu ducatur, merito verecundum et pudicum dici demonstretur. Id autem admirando interrogando ita persequitur, ut absurdum id esse et naturae contrarium colligat, si quis homines innocentes et verecundos esse putet, ut bene audiant, atque erubescere et pudere eos etiam loqui de pudicitia opinetur, ut rumorem bonum colligant. Nam ruborem et pudorem haud dubie in natura esse positum nec indui sponte commodi alicuius adipiscendi gratia. Quapropter etiamnunc probo eam verborum constitutionem, quam in mea horum librorum editione proposui: innocentes ergo et verecundi sunt, ut bene audiant, et ut rumorem bonum colligant, erubescunt, pudet etiam loqui de pudicitia? licet repudiata ea sit ab Halmio, qui nec interrogando haec absolvi vult et a verbis pudet iam (sic enim scripsit pro eo, quod est in codd. melioribus etiam) loqui de pudicitia novam quandam sententiam initium capere existimat. Quid? quod in annotatione verba illa de pudicitia, quae in omnibus omnino exstant codicibus, notam esse marginalem ratus orationem sic refingendam esse dixit: et ut rumorem bonum colligant, erubescunt impudica etiam loqui structuramque quandam verborum Ciceroni tribuit, quae poëta sit digna, non Cicerone. Sed redeo ad id, unde exorsus sum. Quoniam infamiae metu homines, ut verecundi et pudici essent, commoveri negavit, propter verba illa praecedentia an legum et et iudiciorum idem dici consentaneum est de metu legum et iudiciorum. Atque haec ipsa sententia verbis deinceps positis ita declarari videtur, ut parum recte id Epicureos dicere negetur, qui cum propter damna et detrimenta vitia vitari dicerent,

facere non poterant, quin in detrimentis etiam legum et iudiciorum poenas numerarent; idque ita esse, elucet ex eis, quae Cic. de Fin. I, 14. 47. disputantur: ob eamque causam propter voluptatem et parvam et non necessariam et quae vel aliter pararetur et qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt, saepe etiam legum iudiciorumque poenis obligantur. Sed ita nec iudicium nec vitio, quorum utrumque in cod. arch. fuit, recte se habet. Ac verba quidem, quae deinceps sequuntur: quid enim? possumus eos, qui a stupro arcentur infamiae metu (ideoque non vocantur in iudicium nec poenas luunt) pudicos dicere, cum ipsa infamia propter rei turpitudinem consequatur satis arguunt de impudico ante esse expositum. Itaque etiamnunc quod quondam conieci impudicum pro iudicium retineri volo, sed pro vitio substitui iudicio. Quapropter orationem iam in cod. arch. turpiter deformatam — nam in hoc haud scio an haec fuerint: qui nullum iudicium vitare nisi vitio ipso notatum putant — hunc in modum refingi velim: Ac me istorum philosophorum pudet, qui nullum impudicum, nisi iudicio ipso notatum putant (durch ein foermliches Gericht gebrandmarkt). In hanc sententiam notari iudicio recte dici documento sunt haec, quae inveniuntur apud Cic. pro Cluent. 47, 130. homines, quos ceteris vitiis atque omni dedecore infames videbant, eos hac quoque subscriptione notare voluerunt.

Cic. de Legg. I, 13. 35. Cum codicis archet. scripturam attico ferri non posse viderem, quia, sive ad dixisti id retuleris, non recte Attico soli haec dicuntur exposita esse, sive ad videtur pertinere statueris, perquam inepte pro Attico Quintus isto modo respondere videtur, ipse quondam dixisti adhuc conieci. Recte vero et hanc meam et Bakii coniecturam satis videtur Halmius sprevit. Sed ipse quod coniecit; nisi aliter Attico videtur, id multo minus potest probari. Nam et eodem quo mea coniectura laborat incommodo, de quo mox videro, nec convenit eis, quae sequuntur verbis: mihi quidem certe. Ita dici certe oportuit si minus Attico. Sed eodem etiam quo mea coniectura laborat incommodo. Scilicet verba ex his quae dixisti aut ad verba: ex natura ortum esse ius pertinent aut ad videtur. Illud cum prorsus ineptum sit, ad videtur sunt referenda. Sed ne hoc quidem nunc puto recte fieri, si quidem videtur non habet vim intelligendi, sed eius qui loquitur indicat iudicium (subiective Ansicht). In hanc autem si accipitur sententiam, necti ex eo non possunt verba ex his quae dixisti; ac requiritur potius tale quiddam, ut apparere, elucere, effici. Hoc pridem intellexeram, cum ex Seyfferti commen-

tariis, quos tusculanarum dispp. editioni adiunxit, p. 114. vidi M. Hauptium coniecisse effici. Hoc grato animo accipio, cum codicem archet. certum sit maiusculis litteris scriptum esse, ut EFFICI et ATTICO facile potuerit confundi. Quae mox Atticus respondet (Halmii causa hoc commemoro): an mihi aliter videri possit, ea ad verba illa pertinent: videtur mihi quidem certe.

Cic. de Legg. I, 20. 53. scripsit Halmius codices suos Vossianos, hoc loco correctos, secutus quid tandem idemque, quod in cod. A id scriptum supra lineam esset, hoc pronomen plane omisit. Nimirum ut multis locis aliis, ita hoc loco nimium tribuit auctoritati codicis A, cum a ceterorum codicum meliorum auctoritate discrepat. Haec autem pronominis omissio, etiamsi tanta esset eius codicis auctoritas, quantam Halmius esse statuit, probari posset nullo modo. Carere enim non possumus subiecto quod vocant. Sed non est tanta, ut mox viderimus. Ac ne quid quidem, quod tuentur codices deteriores et quod et Bakius probavit et ego in editione mea horum librorum amplexus sum, potest probari, ac potuis meliorum codicum scriptura quî tandem id ad rem (nam in codd. A et B idem fuisse prima manu mihi quidem certum est) est retinenda. Quid tandem id ad rem? qui dicit, is nihil id ad rem pertinere declarat; quî tandem id ad rem? qui percontatur, is quomodo id ad rem pertineat, ignorare se dicit et id velle se scire significat. Et ad hanc Marci percontationem vel maxime accommodatum est Attici responsum: quoniam Athenis audire ex Phaedro meo me memini Gellium familiarem tuum — philosophos qui tum erant in locum unum convocasse cet. Similiter mox cum Atticus quaesisset: quo tandem istud modo? itemque §. 55: qui istuc tandem vides? causa, cur sciat, particula quia indicatur. Sed quia supra Halmium codicis Vossiani A auctoritati dixi nimium tribuere idque eius horum librorum recensioni haud mediocriter obfuisse puto, ea de re planius dicam. Est sane ille codex in optimis, i. e., in eis, in quibus codicis archet. scriptura propagata est religiosius. Sed eodem in numero est alter Vossianus (B), qui in plerisque non discrepat a cod. A, itemque cod. Heinsianus, quem Halmius littera H, littera C Bakius designavit, cod. Perizonianus (E), Burneianus (δ), Gudianus alter (Gd. 2.) Quod autem Vossianum utrumque dixi in optimis esse, id pertinet ad principalem eius scripturam, non ad correctionem, quae saepe in eis tentata est ita, ut principalis scriptura vel servata sit simul, vel plane erasa. Atque hac erasa scriptura multae Halmii coniecturae tamquam firmo quodam fundamento nituntur. Hoc autem firmum esse nego fundamentum, si litterarum erasarum aut spatium intueatur aut numerum computet, nisi simul ceterorum codicum meliorum scripturas circumspiciat. Nam quae in cod. A prima manu scripta erant, eadem fere reperiuntur in ceteris codicibus

melioribus aut singulis aut omnibus. Hoc ut ita esse ostendam, aliquot locis rasuram codicis A conferre iuvat cum mendis aliorum codicum meliorum. I, 10. 30. A habet interpres ** que duabus litteris erasis. Prima manu scriptum erat, quod est in ceteris melioribus interpresseque. — I, 15. 42. A habet est enim una lex quo *. Quo correctione natum est ex quod, quod est in cod. B. — I, 20. 53: A quo ** ius. Prima manu scriptum erat quominus, quod est in B H δ Gd. 2. — I, 15. 42. A *** indicta causa. Pr. manu scriptum erat aut indicta causa, quod est in ceteris codd. melioribus omnibus. — I, 20. 53. in cod. A verba tantumne una de re est solum dissensio scripta sunt in loco litterarum erasarum. Non dubium est, quin prima manu scripta eadem fuerint, quae in ceteris sunt codd. melioribus: ain tandem una es solum dissensio. — I, 24. 63. A re vero (re in rasura) Nisi peculiare mendum h. l. concepit, prima manu scriptum fuit ne, quod est in E. — II, 2. 5. quid * duas **. Correctio nata est ex mendo quid vasis, quod est in B. — II, 5. 11. in A, qui habet iuris colendi sunt litterae interpunctae in rasura. Prima manu scriptum haud dubie erat, quod pr. manu fuit in B curilendi. — II, 7. 15. in A litterae interpunctae religiones intueri sunt in ras. Pr. m. scriptum fuit religione sint veri, quod est in B pr. m. H. Gd. 2. — II, 7. 16. A in ras. ab utili illa aut a vera. Pr. m. scriptum fuit ab utilla aut aversa (B) aut ab uti illa aut aversa (H. Gd. 2). — II, 8. 19. A quos * rite (e ex corr.) ** a. Prima manu scriptum fuit, quod excerptum est ex H et Gd. 2. quos trita ea. — III, 2. 4. A me * quidem corr. e men quidem (B). — III, 8. 18. A apertum est profecto ē nihil esse. Prima manu pro e tres litterae scriptae erant, h. e., est, quod est in Gd. 2. — III, 2. 4. A idque **, h. e., idque ut, quod est in B. Possum haec cumulare multis aliis exemplis non minus luculentis. Sed haec hactenus.

Sed mirum sane sit ullum codicem cum uno aliquo ita convenire, ut nulla menda sua conceperit. Ac habuit cod. A quoque menda quaedam propria, velut II, 4. 10. Tarqui * nius, cum ceteri habeant Tarquinius. I, 14. 41. facit et mentietur, cum in ceteris melioribus (H δ E Gd. 2.) mendum exstet, quod propius a vero absit facit emetietur. II, 17. 16. verba quemque ea quae gignuntur nobis ad fruendum in loco erasorum posita sunt, ut cum ceteri codices omnes haec ipsa pertinaciter teneant, in cod. A peculiare aliquod mendum conceptum esse appareat, quod ex ceterorum aliquo correctum sit. Sed quid haec, per se admodum illa ingrata, tam fuse disputo? Ut, sicubi in cod. A mendosa scriptura sit plane erasa et litterarum erasarum numerus tantum sit conspicuus, ne quidvis, quod litterarum erasarum numerum vel spatium aequet, statuamus prima manu fuisse exaratum, sed nis

casu aliquo proprium quoddam mendum sit conceptum, aliquid eorum, quae in ceteris codicibus melioribus aut omnibus aut singulis prodita sint, pro principali codicis A scriptura habendum esse intelligamus. Qua de re quia aliter iudicavit, Halmius haud paucis locis a vero aberrasse putandus est. Quod ne temere videar iudicasse, pauca exempla iuvat afferre. II, 5. 11. quia in cod. A una littera oblitterata scriptum est scita * scribuntur Halmius coniecit describuntur. At scita * scribuntur nihil aliud est, nisi sit adscribuntur, quod est in Gd. 2. δ H, quod ipsum natum est ex sit ascribuntur, quod excerptum est a Bakio ex cod. E. Litteris scita scribuntur, non describuntur. — II, 1. 2. codicem A et hoc quidem loco correctum secutus scripsit sive aliquid scribo aut lego, cum ceteri codd. meliores omnes teneant, quae prima manu etiam in A videntur exarata esse: sive aut quid scribo aut lego; in quibus nihil est, quod iure displiceat. Nam cum cogitationem et scribendi legendique operam tamquam duas studiorum partes disiunxisset, hanc ipsam scribendi legendique operam denuo potuit disiungere, ut fecit de Fin. II, 33. 107. ad Fam. IX, 20. 3. Interiecti pronominis quid adeo attenuata vis est, ut disiunctio verborum eo non obscuretur. — II, 2. 5. ratione habita litterarum in cod. A erasarum (habet autem quid? * duas ** habetis patrias) scripsit: quid? duas vos habetis patrias? Etsi per se illa scriptura nihil habet, quod reprehendatur: tamen codicis archet. scriptura, ut multis locis aliis, ita hoc loco propagata esse videtur per codd. δ et Gd. 2. (mihi qui duos duas habetis patrias); unde pridem recte effectum est: numquid vos duas habetis patrias? Nimirum nullum in codd. δ et Gd. 2. deprehenditur menda corrigendi studium omniaque vel apertissima menda superstitiose depicta sunt. — II, 14. 40. quia cod. A habet quod si poena *, hinc, cum ceteri codd. meliores poena, deteriores poenam pertinaciter teneant, suspicatus est verba si poena a cod. arch. abfuisse nec profecta a Cicerone esse. — I, 15. 42. quoniam in cod. A scriptum est: est enim unum ius, quo * scripsit invitis ceteris codicibus omnibus: est enim unum ius, quoi devincta est hominum societas, quasi vero aut devincire dativo struatur, aut haec Ablativi forma a Cicerone sit usurpata. Quo * natum est ex correctione voculae quod, quae prima manu scripta fuit in B. — II, 1. 1. quia in A ante illi parva rasura est, hac ille re commotus pronomen hoc post opinor excidisse iudicavit. Mihi quidem pronomen iam a cod. archet. abfuisse exploratum est, cum in nullo omnino codice sit inventum, rectiusque ante opinor quam post restitui. Rasura illa in cod. A proprium quoddam mendum sublatum est. — I, 7. 23. cum in cod. A invenisset praepotenti unde ***** relicta scriptura, quae adhuc vulgata est, quae nititur auctoritate codicum

H E Gd. 2. deteriorumque quorundam mendo etiam confirmatur, correxit: est igitur universus hic mundus una civitas communis deorum atque hominum existimanda. Per se etsi illa scriptura nihil habet, quod reprehendatur, tamen non potest probari, quia prava de codice A opinione nititur. — II, 2. 4. quia ex cod. A excerpserat iustam puto **, invitis ceteris codicibus omnibus et melioribus et deterioribus scripsit: ego vero tibi istam iustam causam puto esse, quasi vero non peculiaria quaedam menda cod. A conceperit, quae postea sint correcta. — II, 23. 58. etsi ipse coniecturam non tentavit, tamen tamquam codicis archet. scripturam ex A in verborum contextum recepit domina, quae est coniectura codicum deteriorum, cum in cod. arch. certum sit fuisse, quod est in ceteris melioribus, mina, unde pridem effectum est lamina vel lamna. — II, 1. 3. quia in cod. A delectet ** invenerat, in eo delectetat fuisse suspicatus coniecit: inest nescio quid — quo me plus hic locus fortasse delectat, quasi vero nulla ceterorum codicum meliorum habenda sit ratio nec sua quaedam cod. A habuerit menda, quae corrigi erat consentaneum. Sed nolo haec persequi longuis, cum ratione explicata facile unusquisque singula possit expedire.

Cic. de Legg. II, 8. 19. Probata adhuc fere est Gulielmi coniectura neve ulla, tentata illa iam in cod. B et δ, pro scriptura ea, quae ex plerisque excerpta est codicibus deterioribus nec ulla, quam etiam in cod. A per correctionem esse translatam Halmius indicavit. Ac probavit illam coniecturam, quae mihi quoque quondam placuit, Halmius in Ciceronis editione Orelliana, cum et Vahlenii (Ostr. Zeitschrift. 1860. p. 15.) et Bergkii disputatio (Phil. XIV. p. 186.) eum posset admonere, ut codicum meliorum, in quibus nulla tentata correctio esset, vestigia pressius sequeretur. Habet autem Gd. 2. sunt onencula, H sunt oneuncula, E sunt homicula. Haec eam emendandi viam monstrant, quam admodum similem Vahlen et Bergkius inierunt, quorum ille nincula, hic nuncula coniecit. Ego vero prisca negandi vocula nec revocata scribi haec velim: earumque laudum delubra sunto, nec uncula vitiorum. Similiter nec pro non positum est in verbis legis III, 4. 11. senatori, qui nec aderit, aut causa aut culpa esto. II, 9. 22. sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum esto. III, 3. 6. magistratus nec obedientem et in noxia civem multa, vinclis verberibusve coërceto. Ut negandi, non prohibendi particula existimen Ciceronem usum esse, adducor eo, quod laudum vocabulo simpliciter opponi puto vocabulum vitiorum. Quapropter ut contraria eorum ratio emineat, haec nomina voce sunt acuenda. Similia exempla, quae

haud ita pauca apud veteres reperisse me memini, nunc non sunt in promtu. Sed nemo profecto haec reprehenderit: virtutem sequere, non gloriam.

Cic. de Legg. II, 20. 51. Quae in cod. arch. fuerunt: his propositis quaestiunculae multae nascuntur, quas qui nascuntur intelligat, non, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat, ea ante Goerenzium altero verbo nascuntur sublato et particula non transposita sic vulgabantur: quas qui non intelligat, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat. Goerenzius eo certe nomine laudandus est, quod primus imprudenter negandi particulam transpositam esse et interrogando hanc sententiam absolvi intellexit. Sed idem quod verba qui intelligat ad pronomen relat. quas referenda putavit, procul dubio erravit. Nam si ita ista velis interpretari, ut ipse in mea horum librorum editione sum interpretatus, ut quaestiunculas intelligere hoc sit, quae sententia quaestiunculis sit subiecta intelligere (die Fragen dem Sinne nach verstehen), perspicere autem ad interiorem earum cognitionem earumque cum principiis necessitudinem referatur: hoc discrimen quasi calumnia quadam fateor extorqueri nec inesse in ipsis verbis. Quid igitur? Verba qui intelligat, id quod prudenter Bakius intellexit, non sunt ad pronomen quas referenda, sed in hanc sententiam accipienda: qui intelligens sit; pronomen autem quas ad perspiciendi verbum oportet referri. At quis unquam dixerit qui intelligat ita, ut idem sit atque qui intelligens sit? Adiectivo nihil addi opus est, verbo addi aliquid necesse est, quo qualis sit intelligentia, declaretur. Recte igitur dicitur in hanc sententiam multum, paulum, prudenter intelligere, non simpliciter intelligere. Itaque propius ad verum accessisse putandus est Halmius qui paulum intelligat coniiciendo, quod et voculam aliquam verbo addidit, qua incommodum illud tolleretur, nec simpliciter nascuntur exterminavit nulla in eius locum substituta voce alia. Verum probari haec coniectura non potest. Nam et nimium a codicum vestigiis recedit et veri modum videtur excedere is, qui facile quaestiunculas illas per se ipsum eum perspicere dicit, qui paulum intelligat. Acri ad eam rem iudicio opus est. Itaque commendaverim haec: quas, qui acriter intelligat, non, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat? In eandem sententiam intelligendi verbo Cicero hoc adverbium adiunxit in Pis. 28, 68. sed tamen lubricum genus orationis adolescenti non acriter intelligenti saepe praeceps.

Cic. de Legg. II, 24. 61. in codice arch. suspicor haec fuisse, quae codices meliores omnes cum nonnullis deteriorum tenent: nam quod rogum bustumve novum vetat propius sexaginta pedes adiici aedes alienas invito domino, incendium veretur acerbum vetat. Correctio, quae ab his debet proficisci, nondum

inventa est. Nam nec prudenter factitae arti criticae convenit, quod quondam ipse suasi, simpliciter vetat exterminare, nec quae ita efficitur sententia, satis idoneis verbis declarata est. Nam etiamsi adiectivum acerbum, cuius ego ipse olim patrocinium suscepi, putes ferri posse — quamquam nunc aliter sentio —, verendi verbum admodum inepte de lege dicitur, cuius non est vereri, sed vetare. Quapropter et hoc nomine et alio probari non potest nec Davisii coniectura: incendium veretur ac eo rem vetat, nec Wyttenbachii: incendium veretur aedium. Nec vero aut Lambini probabile inventum est: incendium videtur arcere (dici certe oportuit arcere velle), nec Moseri: incendium arcetur ab urbe; nam ipso vetando non certum est effici, quod vetatur. Halmii denique coniectura incendium ut arceatur vetat, etsi prudentius est excogitata, quia vetat illud retinet, tamen non potest probari, quia nec unde arceatur incendium, nec quid lex vetet, definitur, sed quo consilio vetet, declaratur. His evitatis incommodis pressius codicum vestigia secutus tentavi haec: incendium moveri in urbe vetat. Haec qui nimium a codicis archet. vestigiis recedere putabunt, codicem illum scriptum esse meminerint litteris maiusculis.

Cic. de Legg. III, 15. 33. in codice archet. constat haec fuisse: nam ego in ista sum sententia qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in voce melius, sed optinere an possunt videndum est. Quum pridem pro indicativo possunt in hac suspensa interrogatione intellectum esset restitui oportere coniunctivum, Madvigius etiam an, quod cum in cod. arch. esset, facile per omnes codices propagabatur, mendosum esse intellexit eiusque merito sententiam probavit C. Halmius. Sed quod uterque admodum similiter coniecit possit sed optinerine iam, (Madv.) et sed optinerene iam possimus (Halm), id neutiquam probaverim. Nam nescio quomodo displicet mihi particula iam, in qua apud Ciceronem certe ubique inest temporis quaedam significatio; quae ita recte se haberet, si ante non potuissent tenere, iam autem viderentur optinere posse, id quod secus est. Itaque pro an ego restituendum puto num (NŪ), quod non longius a codicum scriptura recedit, quam illud quod Madvigius Halmiusque coniecerunt; idemque quod olim in mea horum librorum editione commendaveram, optinere possimus etiamnunc cum Halmio amplectendum puto, quia et optinere est in codicibus melioribus, et possimus facilius quam possit videtur mutari potuisse in possunt. Refinxerim igitur orationem hunc in modum: sed optinere num possimus, videndum est. Cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. 7. videte, num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere.

Cic. de Legg. III, 17. 39. quae in codicibus melioribus exstant: quae si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere, non reprehendo; sin valuerint tamen

leges, ut ne sim ambitus, habeat sane populus tabellam quasi vindicem libertatis, ea puto verissima esse, si modo pro mendo aperto sim restitueris sint. Plurali numero non ipsa vis ac notio ambitus (der abstracte Begriff der Amtsbewerbung) denotatur, sed varii eius usus significantur. Nec coniectura tantum pro particula tamen opus est, quam receptam a plerisque Halmius quoque probavit, nec Halmii coniectura ut desinat ambitus pro ut ne sint ambitus. Quid enim? Opponitur vis legum, quam ipsae habuerunt non quaesitam voluntati hominum ad moderandam ambitionem (non opprimendam) suffragium omni ratione tegentium, ut sententia haec sit: si leges illae quae tegunt omni ratione suffragium: ne quis inspiciat tabellam, ne quis roget, ne appellet, id tantum spectant, ut ne modum excedat ambitus, id non ego reprehendo; sin, etiamsi id non spectaverint, qui leges illas ferebant, tamen id leges effecerint, ut prorsus tollatur ambitus, non ego quidem leges illas volo abrogari, sed vim tamen earum temperari eo, ut, si minus omnibus, at optimo cuique tabella ostendatur. Itaque non aliena est ab hoc loco restringendi particula tamen. Sed ne altera quidem coniectura, quam ipse Halmius excogitavit, ut desinat ambitus, videtur necessaria esse. Quam ut proponeret, haud scio an eo sit commotus, quod opus esse putabat particula, in qua eventus, non voluntatis vis inesset. At valere (eine Wirkung haben) in eodem est genere atque efficiendi verbum, quod multo saepius particulas ut ne, quam ut non asciscit. Quippe Romanorum menti non eventus, sed effectus cogitati (beabsichtigte Wirkung) notio obversabatur. Exempla, quae, si ulla reperiuntur, rariora esse consentaneum est, non sunt in promtu; sed clamat ratio.

His, quae adhuc disputavi, cum addere quaedam in animo esset, quae ad libros de nat. deor. et de divinat. pertinerent, resecare ea cogebar necessitate, ne terminum concessum longius evagarer.
